Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 565
Quelle:
Copyright:

ficium in locum *Calvariae* congeſſiſſet, miram fabellam de Cruce Chriſti e praedicto nucleo orta ingreditur: ſub *Salomone* factam arborem a Regina *Saba*, quae fuiſſet *Sibylla habens pedes anſerinos et oculos lucentes ut ſtelle*, adoratam, mox jubente Rege ſucciſam, et in menſam Propoſitionis panum in Templo aptatam, tum poſt varias vices conjectam in Piſcinam illam *Probaticam*, demumque ipſo ſupplicii τȣ Θεανδρȣ tempore a *Simone* fabro lignario inde extractam, crucemque efformatam fuiſſe; quae Graeculi cujusdam ſomnia cenſeo, iis gemina, quae refert *Gretſerus* L. I. *de S. Cruce* c. 4. Per VI. deinceps notas *Aetates* procedit Narratio, quoque magis procedit, minus deſipit. Usque ad A. MCLXXXVI. paſſim inſiſtit Chronico *Gottfridi Viterb.* ut extat T. II. *Scriptt. Rer. Germ. Piſtorii*, ut tamen et ſua addat. Ita ad A. DCCCLXXXI. legas: *Hujus* (Caroli Imp.) *tempore bovum peſtilentia magna contigit, dum enim cancri cadauera laniando comederent, quadam die univerſi in unum locum congregati inde diſceſſerunt, ita ut nullus eorum poſtea neque viuus neque mortuus inveniri potuiſſet*. Quo magis ab A. MCLXXXVI. progreditur, eo uberior fit in rebus *Auſtriae* et *Styriae*, coinciditque cum Chronico *Clauſtroneoburgenſi* edito ab *Hier. Pezio* T. I. *Scriptt. Rer. Auſtr.* Exemplo fit Annus MCCCIV.

Codex

Rex Bohemus Wenczeslaus cum magna multitudine armatorum vngariam intrans et calliditate et pecunia partim cum potentia inſignia ſcilicet gladium et tunicam beati Stephani Regis Vngarie et coronam obtinuit. et antequam ibi negotia ſua terminaret propter que intrauerat de ſtabiliendo filii ſui regno ſuper vngaros, Rex Romanorum Albertus miſſis duci auſtrie Rudolfo filio ſuo nuncijs precepit, ut pacis contradictionem Regi Bohemie demandaret. Quo facto Rex Bohemie inconſummatis negocijs et imperfectis accelerabat exire vngariam, habens tamen regalia &c.

Chronicon Clauſtroneob.

Rex Bohemus Wencezlaus cum maxima multitudine armatorum Ungariam intrans muneribus et calliditate partim etiam potentia inſignia regni Ungariæ hoc eſt gladium et tunicam beati Stephani Regis Ungariæ et coronam obtinuit, ubi quamplures ex intemperie aeris mortui ſunt. Et antequam ibidem negotia ſua terminaret, propter quae venerat, ut de ſtabiliendo regno filii ſui ſuper Ungaros, Rex Romanorum Albertus miſſis Duci Auſtriæ Rudolfo filio ſuo nuntiis præcepit, ut pacis diffidationem ac contradictionem Regi Bohemiæ demandaret. Quo facto Rex Bohemiæ inconſummatis negotiis atque imperfectis prope-